



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Donationibus. Consilium CCCLXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

d. Anth. Licentiam C. de Episc. & cleric. permittatur tamen potestas illa erogandi & consumendi, non tantum in utilitatem Ecclesie, sed etiam in alia opera pietatis, d. Auth. Licentiam: quibus annumerantur quæ pro ædificatione, & fartis tectis Ecclesiarum, item pro salute animarum relinquuntur seu destinantur, Tiraquel. in tract. de pia caus. in præfat. verius & æquitati magis consentaneum esse putamus, in has duas causas factas donationes etiam subsistere; nec liberale, nec pium esse, hac in parte Reverendissimi Episcopi præsentem donationem convellere: & ne quid ex eo quod absentibus factæ sint hæ donationes. † Et si enim regulariter absenti facta donatio non valeat, nisi secuta donatorij in vita donantis acceptatione, l. Absenti De donat. in piam tamen causam etiam absenti, & sine acceptatione in vita donatorij, statim valet facta donatio, confessio, seu declaratio; ut late tradit Andreas Tiraquellus, in tract. de pia caus. privileg. 115. 116. 117.

De Donationibus.

S V M M A R I U M.

Donatio Vniversitati ad distribuendum facta

1. 6. Donatum vel legatum Vniversitati, singulis non debetur, sed corpori Vniversitatis.
2. 5. Donatum vel legatum Civitati, Collegio, Municipio, Vniversitati, & similibus in quid converti debeat.
3. Vniversitatem qui representent, & per quos illius negotia explicantur.
4. Communi in re quando unus contra discendo, possit alios impedire.

CONSILIVM CCCLXVIII.

SANCTISSIMVS Dominus noster Gregorius Decimus tertius Papa, per suum Breve sub annulo piscatoris ad Rectorem & Vniversitatem Studij generalis Lovanienfis sexta Augusti anno 1580. misit summam duorum millium aureorum, sub his verbis: *Mittimus vobis duo millia aureorum. Poteritis mille inter vos dividere; ex reliquis communia vestra Vniversitatis debita persolvere; aut etiam si mille parum vobis esse videbitur, tota duo millia inter vos partiri; hoc enim vestro arbitrio permittimus.* Quæritur, inter quos, & quomodo fieri debeat hæc divisio mille aureorum, aut etiam duorum millium, si tale erit dicti Rectoris & Vniversitatis arbitrium; & ad quos hoc arbitrarij pertineat potestas?

Si nihil in dicto Brevi specialiter dictum esset de fine hujus missionis, ad effectum facultatis dividendi, vel alteram, vel utramque hanc summam, pro absolutâ donatione accipienda esset hæc missio; etiam si donationis nulla mentio in ea fiat. † Neque enim ulla est præsumptio alterius vel tituli vel intentionis ac voluntatis ejus qui mittit, Gloss. & Bartol. in l. Cum quid si cert. per. Guido pape conf. 239. præsertim quod antecedentia verba dicti Brevis causam missionis evidenter explicant; videlicet; commiserationem perpeffarum calamitatum, & meritum eorum, ad quos fit hæc missio; ut non obscure remuneratoria sit hæc per missionem hujus summæ explicata donatio. Cujus donationis effectus non ad singulos de Vniversitate sed ad ipsum Vniversitatis totum corpus referendus & restringendus est. † Ut enim quæ Vniversitatis alicujus sunt, non singulorum, sed Vniversitatis sunt, l. In tantum §. Vniversitatis De rer. divis. ita quoque quod Vniversitati, Civitati, vel municipio relinquatur, donatur vel debetur non singulis de Vniversitate, non singulis civibus, vel municipibus debetur, nec singuli totum vel partem illius petere possunt, sed Vniversitati ipsi, seu (ut dicunt) fisco Vniversitatis, Civitatis, vel Municipij debetur; & per illius administratores, fiscum, seu syndicum solidum peti potest, & solidum in utilitatem Vniversitatis, non singulorum Doctorum, Magistrorum, aut scholarum converti, l. Civitatibus De leg. 1. l. Civibus De reb. dubijs l. Sicut §. si quid Vniversitati Quod cuiusque Vniversit. nomine & ibi Gloss. minimèque inter Vniversitatis singulos homines est distribuendum, Castrens. in d. l. Civibus nu. 2. quia nec singuli Vniversitatem constituunt nec sustinent, l. Cum senatus De reb. dubijs. Sed quoniam in dicto Brevi ultra declarationem seu actum missionis horum duorum millium aureorum, adjicitur finis ipsius, & modus executionis seu usus illius; ut scilicet Rector & Vniversitas possint mille aureos inter se dividere; & reliquos mille aureos, vel in communium debitorum solutionem convertere, vel si arbitrabuntur etiam cum alijs mille inter se partiri, voluntas mittentis, formam, usum, & executionem dictæ missionis seu donationis præscripsit: ita ut non possit dici absolute donationem esse factam Vniversitati ipsi; sed magis singulis, qui sub Vniversitate sunt, ideoque ex voluntate & speciali declaratione mittentis hæc summa mille aureorum, non ad ornatum, honorem, aut communem utilitatem Vniversitatis videtur posse converti, sed tantum ad divisionem: nam sic Vniversitati, Civitati, vel municipio donari aut legari posse, d. l. Civitatibus l. Si quid reliquum De leg. 1. eamque voluntatem donantis aut legantis omnino servandam esse, dubium non est, d. l. Cum Senatus. Quæ consideratio hoc facit, quod singuli de Vniversitate probabiliter fundati videantur ad petendam hanc divisionem, saltem pro mille aureis; & quod in re communi vel unus ex Vniversitate contradicere possit, etiam si maior pars vellet hos quoque mille florenos cum alijs mille convertere in debita vel aliam utilitatem totius Vniversitatis, l. Solum D. Communium divid.

Verum propius advertendo, deprehenditur præcisam non fuisse voluntatem Sanctissimi Domini nostri Papæ hanc libertatem exercentis ad necessitatem divisionis, sed dumtaxat ad potentiam; quod scilicet Rector & Vniversitas possent dividere. Iam verò cui seu quibus permittitur posse dividere, non coguntur id facere nisi velint, l. non quicquid De iud. l. Sæpe De off. præsid. Ex voluntate itaque Rectoris & Vniversitatis id pender, an velint uti potestate dividendi sibi per dictum Breve permissa; an verbò eà vel contemptâ, vel neglectâ id efficere, ut sit absoluta donatio seu missio donationis causâ dictis Rectori & Vniversitati facta. Ut etiam in dicto Brevi prius perpeffâ expeditâque oratione Rectori & Vniversitati missa est pecunia; & post per aliam orationem

subiecta potestas dividendi; quæ per Rectorem & Vniversitatem repudiata vel remissa, efficit, ut ipsa donatio Rectori & Vniversitati facta sit per se: cuius effectum esse diximus, ut converti debeat non in singulorum, aut aliquorum de Vniversitate utilitatem; sed totius ipsius Vniversitatis in genere. 7. Nam quod sic indeterminatè Principibus seu capitibus & administratoribus Vniversitatis, multo magis quod Rectori & Vniversitati ipsi relinquatur vel donatur, ad ipsos Principes, capita, & administratores, vel ad ipsum Rectorem non pertinet; sed ad ipsam communitatem seu rempublicam Vniversitatis, d. l. *Civitatibus*. & ibi Gloss. l. 1. Lucius Titius §. *civibus* De leg. 2. Socinus in d. l. *Civibus* nu. 5. & 7. Doct. in c. *Requisivisti* De testam. potissimum cum Rectoris, vel Administratorum nomina non exprimuntur, Socinus in d. l. *Civib.* nu. 6. aut cum huiusmodi donatio vel legatum sit ob præcedentia merita: ut in dubio etiam præsumitur, cum antecedentia merita Vniversitatis, in singulis & particularibus suppositis eiusdem considerari non possint. Fieri enim vix potest, ut inter subditos alicuius Vniversitatis non sint non tantum ignavi, sed interdum etiam male, vel non bene merentes, Socinus d. nu. 6. Vnde ut hæc merita non aliquibus singularibus, etiam specialiter bene merentibus adscribantur, sed Vniversitati, sit ut tali casu huiusmodi legata vel donata ob bene merita, non singulis, sed Rectori, & Vniversitati facta adscribenda veniant. Quod idem dicendum est de casu commiserationis, & præsentibus ac præteritis angustiis seu calamitatibus perpeffis in horum temporum tumultibus; quod illarum consideratio ad omnes & singulos de Vniversitate perinde ex æquo referri non possit; cum in tanta multitudine sint, qui nihil vel parum perpeffi sunt: sint quoque, qui se periculo subtraxerunt, ut in meliore rerum successu rebus integris reversi, personas in Vniversitate sustineant: sint etiam, quibus harum calamitatum & angustiarum asperitas occasio lucri & commodi fuit, & inter mala perpeffos, alius alio plus minusve perpeffus sit: ideoque ista angustia ex toto universo expendatur, & ad Vniversitatis integrum corpus, non ad singulos referenda sint. Et sic ex ista causâ Rectori & Vniversitati missa pecunia non alicuius in privato esse debet; sed totius Vniversitatis; ut inde in communi, non in particulari utilitas huius donationis ad omnes perveniat.

3. Hoc igitur querendum est, in cupis seu quorum potestate sit nolle vel velle dividere, hoc est singulorum, an ipsius Vniversitatis? In quo expeditum est dicere, non ad singulos id referri posse; sed ad Rectorem & Vniversitatem, hoc est, ad Rectorem, & eos, qui Vniversitatis capita sunt & administratores; qui in Lovanensi Vniversitate ex usu & statutis sunt omnes, qui Concilio Vniversitatis adscripti sunt. Quoties enim quid per Vniversitatem, civitatem, seu municipium explicandum est, non per singulos, sed per civitatem & Vniversitatem principes, Rectores, capita, & administratores, per quos civitas seu Vniversitas regitur, explicari debet, l. *Municipibus* De vendit. & demonstrat, quia hi Vniversitatem ipsam proximè representant, & quod per hos sit, ipsa

Vniversitas facere intelligitur, l. *Municipes* Ad municip. l. *Si fuerit* De legat. 3. Quæ juris est interpretatio, & alioquin in scrupulositate seu subtilitate impossibilitatem aliquam continere videtur, dum ad factum civium, municipium, aut subditorum Vniversitatis refertur; cum in Vniversitate multi plerumque sint, qui explicanda rei, de iure vel de facto potestatem non habent; ut infantes, furiosi, mente capti, c. *Romana* §. *fin.* & ibi DD. De sent. excommunicat. lib. 6. Ita ut ad avertendam vel discutendam istam impossibilitatem, per juris interpretationem ad possibilitatem res deducatur, facti explicatione permittitur his, quibus summa reipublicæ seu Vniversitatis commissa est, & per quos Vniversitatis potissimum regitur, d. l. *Municipibus*. Scire itaque debet Rector & Concilium Vniversitatis, utrum volent; an pecuniam istam dividere, non attendendo, quid singula supposita Vniversitatis ea in re velint; quorum vellet aut nolle in eadem re nullum est; an vero quod maior pars Vniversitatis, hoc est Concilij & ordinis illius volent, l. *Nulli* Quod cuiusque Vniversitatis nomine, l. *Quod maior ad municip.* l. *Nominationum* c. *De decurionibus* lib. 10. Quo sensu etiam accipiendum est id, quod in eodem Brevis, arbitrio Rectoris & Vniversitatis permittitur; an volent una tantum, an duo milia aureorum ad divisionem inter se redigere; an vero una mille ex illis applicare in perfolutionem communium debitorum Vniversitatis. Nam omnes singulares personas Vniversitatis ad hoc arbitrium vocare, summam contineret absurditatem: cum plurimæ illius sint incapaces, d. l. *Municipibus*. * Et quod diximus, unus ex his, quos res contingit, contradictionem impedimentum facere posse, l. *Sabini* D. *Communium divid.* non obtinet nisi in his, quæ privati juris sunt, & pluribus ut singulis communia; non etiam in his, quæ iure Vniversitatis seu pluribus, non ut singulis, sed ut universis communia sunt, Gloss. in c. *Quod omnes de reg. iur.* lib. 6. ut sunt ea, quæ Vniversitatis sunt, d. l. *In tantum* §. *universitatis* D. *De rer. divis.* in his enim non quod singuli volunt, sed quod maior pars curiæ, ordinis, seu Administratorum & Rectorum Vniversitatis statuit, sequendum est, d. l. *Quod maior*.

Restat hoc solum inquirere, quid dictis Rectori & Vniversitati, hoc est ejus Concilio ea in re facere vel necesse vel consultum sit? Res utrumque perplexa videtur; quia pugna hic est inter rem privatam & publicam; inter privatum, & publicum commodum: ad illam trahit privata cuiusque affectio, quæ plerumque à vero & honesto hominem abducit, l. *Officium* §. *paterna* De re milit. ad hanc quemque commovere debet communis reipublicæ salus, favor, & utilitas, quæ cum privatorum utilitati omnino præferenda sit, l. 1. D. *Solutio. matrim.* Socinus d. nu. 6. postulat honesti ratio, ut potius repudietur potestas dividendi, & relinquatur donatio hæc Vniversitati in genere; & ut Sanctissimus Dominus N. iudicavit expedire una mille expendi posse in exfolutionem communium debitorum Vniversitatis, ita quoque Rector, Ordo, & Concilium Vniversitatis æquum bonum arbitretur, iusta mille in eadem perfolutionis communium debitorum causam esse

convertenda; & minimè communi divisioni subiicienda. Etsi enim multa sæpè permittantur, fieri tamen ea non semper expedit. *l. Non omne De reg. iuris.* Ex voluntate dividendæ ejus pecuniæ, & ex arbitrio utramque summam divisioni non esse subiiciendam, boni viri officium & arbitrium conspiciuntur: ex contraria sententia seu conatu, avaritiæ, proprii commodi, & cupiditatis nota apparet, & existimationis, saltem apud bonos viros, magna diminutio, si non etiam turpitudine aliqua. Accedit summa difficultas & perplexitas, in quos faciendâ sit divisio, an in omnia omnino hujus Universitatis supposita, quando nemo non eorum, qui extra ordinem dicti Concilij sunt, sive Magistri sive scholares, obtendere volet saltem aliquam portionem, & iniuriam sibi fieri putabit, si quis eorum hujus domi in privato pro suo capite particeps non fiet, propter divisionem inter Rectorem & Universitatem fieri mandatam (ea enim est natura divisionis, ut singuli inde partem ferant, qui ad communionem ac divisionem vocati sunt, *d. l. Civitatis*, si modò vocatum finitus est aliquis numerus. *l. Si heres §. vici De legat. 1. Socinus in d. l. Civibus nu. 6. Angelus conf. 196. Nam sunt octuaginta nu. 2.*) an verò tantum in eorum capita; in Rectorem videlicet, & eos, qui sunt de Concilio dictæ Universitatis, quod si tam sine invidiâ aliorum, qui extra hunc ordinem Concilij sunt, quam verè dici posset, probabilem haberet rationem: ob id, quòd, ut antè dictum est, ratio huius missionis & donationis sit ob merita ejusdem Universitatis, quæ ex capite administratorum, non aliorum subditorum constituuntur, & expendi debent, *Socinus d. nu. 6.* & quòd verosimile non sit, Sanctissimum Dominum nostrum voluisse ad istam liberalitatem vocare nisi hujusmodi capita: alioqui si omnes omnino, qui sub Universitate quoquo modo sunt, admittantur, in magna eorum multitudine, nullum dignum emolumentum habitura erit in singulis hæc liberalitas.

Quæ etiam causa est, ut inquit Antonius de Butrio, in c. *Requisivisti Desertam. Socin. d. nu. 6.* ex relicto vel donatum Universitati, vel civitati, sic accipiatur, ut id ad Universitatem ipsam, ipsiusque intellectualem corpus pertineat; non in singulos de Universitate veniat distribuendum: vel ideo etiam, quòd tale legatum seu donatio non esset futura alicujus utilitatis. Et utrumque statueretur, sive ut inter Rectorem, & eos, qui de Concilio Universitatis sunt, divisio fiat, sive ut omnes & singuli ad hanc divisionem vocentur, manebit illa inextricabilis contentio an viriles & æquales portiones singuli auferre debeant; & tantum referre debeat scholaris, quantum Magister, & ille quantum Doctor; an verò quo quisque gradu vel professione, an numero annorum professionis, vel meritis maior est, maiorem quoque partem ex hac donatâ pecuniâ referre debeat: ut plerumque ad eos etiam pro maiore parte onera tam personalia, quam patrimonialia referantur, *Albericus in d. §. Universitatis.* Quod etsi probabilius videatur, in contentione tamen controversias, imò calumnias, & dissidia excitabit. Ideoque de consultiſſimum & honestissimum, ar-

bitrioque boni viri convenientissimum esse existimamus, ut Rector, & qui de Concilio Universitatis sunt (ad quos sine ulla controversia diximus referendam esse potestatem divisionis & facultatem hujus arbitrij) concessâ potestate dividendi non urantur; sed hoc arbitrentur, neutram divisioni esse subiiciendam, sed convertendam esse in utilitatem publicam; hoc est, exsolutionem communium debitorum, ex quâ ad omnes in genere per rerum consequentias commodum liberalitatis perventurum est; & contentionum ac dissidiorum occasio præscindetur, & utilitas publica, ut oportet, *l. 1. & ibi DD. D. Solutio matrim. privatæ præferetur.*

De Donationibus.

SUMMARIUM.

Donatio per clericum suæ concubinæ, aut spurio filio facta.

1. Appellationis desertio non habet locum, quando sententia est nulla.
2. Appellationis desertio non excusatur per moram Iudicis.
3. Restitutio in integrum datur adversus desertionem, quam mora iudicis induxit.
4. Restitutio in integrum datur ob notoriam iniustitiam, etiam contra tres sententias conformes.
5. 7. 10. Clericus concubina sua legare vel donare non potest.
6. 15. Milites concubina non donant.
8. 11. Clerico & militi concubina donatum est restituendum.
9. Delegatio donandi causâ facta inter prohibitos non valet.
13. Donatum ex causa turpi quando restituitur, etc.
12. Turpitudinem quando liceat detestari.
14. Præsentia quando præsentis & recentis noceat.
16. Sententia & executio quando per novam opposicionem impediatur.

CONSILIUM CCCLXIX.

CIRCA desertionem appellationis versari videtur præcipua questio in causa appellationis, quæ coram Venerabili Viro Domino Decano S. Sulpitij Diestensis pendet inter Reverendos & Generosos Dominos Guilielmum ac Godefridum L. eorumque consortes Appellantes; & Martham V. Appellatam: ob id, quòd Dominus Abbas S. Jacobi Leodiensis proximè præcedentis instantiæ Iudex, declaraverit appellationem, quam dicti Appellantes à decreto Dominorum Decani & Capituli S. Ioannis Leodiensis sexta Februarij anno 1552. lato interposuerunt, esse desertam. Pro cuius questionis resolutione & copiosissimè & exactissimè D. Henricus Vevius, in prioribus instantijs causæ advocatus, scripsit plurimis adductis, quæ ad desertionis vel aversionem, vel exculationem faciunt; demonstratâ scilicet nullitate dicti decreti, à quo, salvâ nullitate, provocatum est, & causâ nullitatis cum appellationis articulo, dicto Domino Abbati aequè principaliter commissâ. * Per quam nullitatis considerationem avertitur cogitatio appellationis & desertionis: quia sententia, quæ nulla est, appellatione non indiget, *l. 1. Quæ sent.*
sine ap-